

concilia, principes, theologos, jureconsultos, historicos, eosque veteres, et recentiores; Germanicos et Italicos.

CAPUT IV.

Objectiones Illyrici dissolvit, ac mendacia plurima auctoris ejusdem detegit, et redarguit.

Nunc vero quid pro se adferat Illyricus videamus; sic igitur præfatur pag. 89. « Restat ut dicatur de Electoribus, et jure electionis novi imperatoris, decedente priore. Nam hic quoque, ut ubique alibi, Pontificiorum parasitorum mendacia grassantur. Dicunt enim, quod imperante Othone III, Gregorius V. Germanus, male a Romanis tractatus, suaque sede pulsus decretum tulerit, quod septem Germani principes, loco Romani populi, senatusque imperatorem in perpetuam posteritatem eligere deberent. Quod eorum figmentum mox evidenter, Deo dante, redarguemus ». Hæc est Illyrici præfatio: quæ si vera sit, necesse jam erit, ut idem Illyricus fateatur, non modo paucos quosdam scriptores Italicos, sed etiam multos Germanos, et ipsos Electores, atque adeo Illyricum, et collegas ejus fingere, ac mentiri, ut Romani Pontificis gratiam aucupentur. Sed videamus quam evidenter Pontificiorum parasitarum (ut ipse vocat) figmentum redarguat.

Primo loco testem producit Jordanum, qui in lib. de translatione imperii scribit a Carolo Magno Electores institutos. At idem Jordanus addit, id fecisse Carolum de consensu et mandato Romani Pontificis, ut supra ex verbis ejus ostendimus. Neque nos terret Illyrici annotatio illa: « Supposititium plane videtur esse illud verbum, de mandato Papæ; nam tunc Papæ fuerunt subditi jurati principum Romanorum, atque adeo Caroli ipsius; non autem eorum domini, qui aliud eis mandare possent, aut auderent ». Hæc, inquam, annotatio nos neque terret, neque movet. Siquidem Pontifices Romanos imperatorum subditos juratos aliquando fuisse dixit aliquoties jam Illyricus, sed nunquam probavit. Nos vero contra demonstravimus ex Chronico Mariani Scoti, Ludovicum imperatorem, Caroli Magni filium, jubente Papa Gregorio (sic enim loquitur Marianus) conjugem recepisse: et ex Aimoino lib. v. de rebus Gallorum cap. 24. mandato Adriani Papæ recessisse Carolum Calvum ab infestatione Ludovici junioris, imperato-

ris Romanorum: denique (ut omittam alia innumerabilia exempla supra citata) ex Radevico canonico Frisingensi lib. II. de rebus gestis Frederici I. cap. 70. Fridericum imperatorem Pontificis pedes osculatum, eique ex equo descendentem strepam tenuisse.

Secundo loco producit testem Nauclerum: « Porro Nauclerus, inquit, generatione 34. ordinationem Electorum tribuit Othoni III, hisce verbis: Hoc in tempore Electores imperii instituti leguntur: de quo aliqui scribunt, quod Otho III, cum hæredes ex se descendentes non haberet, constituit ex consilio principum Germaniæ, ut imperatore mortuo, in oppido Francofurt perpetuo fieret electio, Electoresque constituit tres Archiepiscopos etc. ». At Illyricus non satis germana fide sequentia verba prætermisit, quæ ita habent: itaque aiunt Gregorium V, cognita imperii imbecillitate, varietateque fortunæ; utque is, qui cæteris virtute præstaret, præset etiam dignitate; sanctionem tulisse de imperatore deligendo etc. Vide etiam quæ supra citavimus ex Nauclero, et plane perspicies quam bona fide auctores citet Illyricus.

Tertium testem esse vult, nescio quam additionem ad epistolas decretales: « Quin, inquit, et decretalium exemplaria quædam recens Lugduni impressa, habent additionem super cap. Venerabilem, quæ constitutionem septem Electorum Othoni III, tribuit, cui sane aliqua fides a Papistis tribuenda est ». Ista verò additio nihil omnino nos movet, tum quod sit Caroli Molinæ, hominis hæretici, et qui Romanum Pontificem non minus quam Illyricus oderat; tum quod sit glossa destruens textum, cum in ipso cap. Venerabilem, apertissimis verbis legatur, potestatem eligendi regem Romanorum, ad Principes Germaniæ ab Apostolica Sede pervenisse.

Quartum testem producit Theodoricum, a Niem: « Eodem modo, inquit, et Theodoricus Niemus, qui primum fuit multorum Paparum secretarius, postea Episcopus Verdensis, eidem Othoni Cæsari, et principibus imperii constitutionem septem electorum adscribit ». Hic vero non solum fidem, sed etiam prudentiam in Illyrico desiderare cogor: Siquidem Theodoricus a Niem in suo nemore, ut ipse etiam Illyricus post quatuor pagellas prolixè citat, nihil ejusmodi scribit, quin etiam (quod attinet ad Othonem III.) clarissimis verbis Illyrici mendacium coarguit.

Ait enim Electores primum institutos post obitum Henrici sancti, qui Othoni III successerat in imperio. Quo pacto autem Othoni III, tribuere potuit Niemus, id quod ipse scribit factum post obitum successoris ejus?

Quinto loco Albertum Krantzium testem profert: Quod, inquit, et Albertus Krantzius in sua Metropoli facit disertis verbis, sicut ei in aliis suis historiis.

Nunc plane, Illyrice, sapere cœpisti, qui diserta illa verba Krantzius non adscripsisti. Sed adscribemus nos, ut candorem pectoris tui omnes agnoscant. Sic igitur Krantzius lib. III. Metropolis cap. 40. « Ita perit sine prole (Otho III) prævaluitque electio, quam idem imperator cum Gregorio V. propinquo suo fecisset, quæque durat in hodiernum, ut non legitima successione quærat imperator (quomodo a memoria Magni Caroli videbatur inolitum) sed electione septem primitivorum principum assumatur ». Hæc sunt illa diserta verba Krantzius, ubi vides Gregorium Pontificem nominari, cum de constitutione Electorum agitur. Sed magis adhuc diserta sunt verba ejusdem Krantzius in lib. IV. Saxoniæ cap. 23. a nobis supra citata. In iis enim verbis illud ipsum legitur, quod Illyricus in præfatione hujus disputationis parasitarum Pontificiorum mendacium, et figmentum appellavit.

Sexto loco Nicolaum Cusanum testem producit, cujus integrum caput 4. libri III. de Concordantia Catholica suo libello inseruit. Sed is auctor ab Illyrico multum dissentit. Etsi enim docet non a solo Pontifice electores imperii institutos, sed a communi consensu imperii universi; docet tamen Summi Pontificis consensum, ad eam institutionem legitime faciendam primo loco necessario requisitam: non secus atque in concilio universali auctoritas, et consensus præsidis requiratur: « Concurrerebat, inquit, ad hoc consensus ipsius Gregorii V, tamquam unius Pontificis Romani, qui juxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habet, recte, sicut in conciliis universalibus concurret in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum aliis omnibus ipsum concilium celebrantibus; vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium, et ipsius, et aliorum consensu dependet ». Et infra: « ita quod puto in veritate consensum Romani Pontificis a principio intervenisse, dum isti Electores constituerentur. Unde

ipsi communi fungentes legatione omnium, qui Imperio subsunt, etiam totius sacerdotii, et Romani Pontificis, eligunt ». Hæc ille. Nihil igitur aliud Cusanus docet, nisi Summum Pontificem non per se solum, sed adhibito etiam aliorum consilio, et consensu, eam sanctionem edidisse.

Veruntamen in eo ab isto auctore dissentire cogimur, quod ipse auctoritatem præcipuam ejus institutionis ad consensum omnium eorum referat, qui ad imperium pertinent. Quod quidem nullo teste probat, nec probare potest. Nullus enim historicus refert talem aliquem popularem conventum, qualem Cusanus fingit, ad instituendos imperii Electores celebratum esse. Neque mirum videri debet, si Cusanus, vir alioqui doctissimus et diligentissimus, in ejusmodi rebus, quæ ab historiarum cognitione pendent, hallucinatus sit, siquidem ipsius ætate adeo magna erat ubique penuria veterum historicorum, ut ipse capite superiore ejusdem libri aliquoties referat, se apud nullum veterem auctorem legisse, imperium Romanum translatum fuisse a Græcis ad Carolum Magnum; et inde etiam colligat, neque Carolum Magnum, neque cæteros principes successores ejus, usque ad Magnum Othonem, vere ac proprie fuisse imperatores Romanorum. At hos manifestos esse errores, atque ex librorum inopia natos, ne Illyricus quidem negabit.

Accedit postremo, libros illos de Concordantia Catholica scriptos esse a Nicolao Cusano adhuc juvene, et in gratiam concilii Basileensis, atque eorum, qui tum nihil aliud magis optabant, quam aliquid dici, vel scribi, quo Romani Pontificis auctoritas minueretur; ex quo etiam fonte manaverunt illa verba: Vigor nihilominus definitionis, non ab ipso primo omnium Pontifice etc.

Itaque idem ipse postea maturior, multis de rebus aliter sensit et scripsit. Nam cum in secundo lib. de Concordantia Catholica passim evehat in sublime concilii Basileensis auctoritatem, postea tamen in epistola prima quæ est ad Rodericum, ejusdem concilii acta his verbis reprehendit: Visi sunt, inquit, illi obcæcatissimi viri in spiritu furoris fuisse, quando supra sacrum principem Ecclesiæ nescio qualem judicariam sibi vindicabant potestatem, et horridum nefas attentarunt, in sacrum principem suum sævientes, seipsos ab eodem, et universa per orbem Catholica Ecclesia perniciosissime

secantes. Hæc ille; qui sine ulla dubitatione (si occasio se obtulisset) de hac etiam quæstione nostra longe aliter postea scripsisset. Atque hæc paulo fusius de Cusano disserere placuit, ob ejus viri eruditionem. Nam alioqui facile potuissem unum auctorem, eumque recentissimum, contemnere; cum tot haberem veteres theologos, jureconsultos, historicos, ipsum denique Summum Pontificem, ac principes Electores, quos uni illi objicerem.

Pergit deinde Illyricus, atque ait: « Martinus Polonus Papparum familiaris, disserens de constitutione Electorum, non tribuit eam Papæ, facturus procul dubio si vere potuisset; sic et Antoninus, Episcopus Florentinus; sic et Leopoldus de Bambergæ, sæpe dicens de constitutione septem Electorum, nusquam tamen id Papis, aut Romanæ Ecclesiæ adscribit, cujus alioqui studiosissimus fuit ». Recte facit Illyricus ut ad testes mutos provocet. Nam, ut est solertis ingenii, facile prævidebat fore, ut loquentes testes ex ipsis ipsorum testimoniis nullo negotio refellerentur. At quid, quæso, valent tres muti testes, adversus tam multos loquentes, fideque dignissimos, quos nos protulimus? Sane in quovis tribunali multo plus ponderis habent duo tresve homines, qui affirmant, quam viginti qui neque asserant, neque negent. Quanto igitur magis pluri faciendi sunt viginti, et eo amplius, qui disertis verbis testantur, electores a Pontifice constitutos; quam tres, qui id neque negant, neque affirmant, sed ut rem notam, et pervulgatam prætereunt?

Pergit igitur Illyricus, his omissis, ad argumenta quædam longius petita, atque ex eo probare conatur, a Gregorio V nullam editam sanctionem de Electoribus imperii, quod ejus antecessor Benedictus Othone II Romæ vita functo Germanos oraverit, ut bonum principem eligerent. « Scribit, inquit, etiam Platina, Benedictum Pontificem ibi tunc apud omnes instituisse, et orasse, ut in tanta rerum difficultate, totque periculis, maxime idoneum deligerent: Quo ille diserte confessus est, ipsorum esse, non suum, eligere imperatorem. Si verum esset quod Papparum adultores contendunt, Papas Carolo dedisse imperium, Papas Othoni imperium tradidisse, Papas denique post Othonem III. jus eligendi Cæsaris Germanis tradidisse, an non ibi mortuo secundo Othone suum illud tam plenarium jus eligendi, et creandi im-

poratores, vel maxime Papa demonstrasset, cum tanta esset de ea re controversia, eumque Romæ in sede Papali negotium ageretur? »

At quid est hoc aliud, Illyrice, nisi aerem verberare? Quis enim catholicorum scriptorum dicit, ad Pontificem pertinere, imperatores eligere? Elegit ille quondam Carolus Magnus; sed cum in ejus persona (ut Innocentius loquitur) ad Germanos imperium transtulisset, jus etiam electionis illis concessit; sibi vero id retinuit, ut electum, si is idoneus videretur, confirmaret, inungeret, coronaret. Quod jus Pontificium confirmandæ electionis, principes Electores agnoscere debere, et in sua præsentia agnosvisse, testatur Innocentius Pontifex in cap. Venerabilem, aliquoties jam citato. Itaque idem Platina, qui scribit a Benedicto Pontifice exoratos Electores, ut idoneum principem designarent, scribit etiam (quod Illyricus non satis germana fide reticuit) ab eodem Pontifice Othonis III electionem confirmatam, et eo modo schisma sublatum, quod in imperio oriri jam cœperat, cum alii Othonem alii Henricum, alii Crescentium imperatorem delegissent. Quo sane facto summa apparuit in Summo Pontifice potestas; quemadmodum etiam ante illa tempora, cum Carolus Calvus, et Ludovicus rex Germaniæ de imperio disceptarent, ille obtinuit causam, quem Summus Pontifex coronavit, ut nos supra cap. 5. ex probatis historiis demonstravimus, et post tempora Benedicti cum Lotharius et Conradus (ut verbis utar Innocentii in cap. Venerabilem) in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, et imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte.

Sed veniamus ad aliud Illyrici argumentum: « At, inquit, quod Pontificii adultores clamant, Gregorium V eam potestatem Germanis tradidisse, et ista ratione (ut nunc sunt) constituisse, nullo certo testimonio probari potest, et insuper rationi repugnat ». Et infra: « Denique proferant, si possunt, exemplar istius decreti, quod a Papa Gregorio V factum esse aiunt. »

Non laborabimus (credo) in hac diluenda objectione, si Illyricus sibi constare velit. Nam (ut omittam testes illos tam multos, et tam probatos, quos antea in medium adduxi) in eadem pagina, objicit nobis testium idoneorum penuriam, pronunciat ipse sine

ullis testibus, sanctionem illam de septem Electoribus ab Othone III esse factam, cum is in Germaniam ex Urbe redisset. Quæro igitur ab Illyrico: qui sunt historici, qui scripserunt, Othonem III in Germania sanctionem illam edidisse? Ego sane nullum omnino legi, qui aliquid ejusmodi scripserit: quos autem Illyricus supra citavit, nihil juvare causam ejus, supra demonstravi. Deinde proferat si potest Illyricus exemplar istius decreti, quod ab Othone III factum esse dicit, qui in historia illa centuriata ita omnia collegit, ut nihil plane præterisse videatur, cur non etiam decretum illud Othonis III de septem Electoribus in eam retulit? Cur igitur nobis objicere non veretur, quod æque sibi ac suis objici posse videt? Ut igitur uno verbo respondeam, ubi decretum illud Gregorianum lateat, si tamen usquam hoc tempore exstat, nescio; quod tamen aliquando factum esse, facile mihi persuadent insignes illi viri, qui in libris suis narrationem hujus facti inserendam censuerunt. Nam etiamsi exstaret, non aliunde certius cognosceretur esse Gregorii, quam ex traditione, et fide historicorum.

Postremum, idque gravissimum Illyric argumentum sumitur ab ipsa naturali ratione. « Sed pugnat, inquit, cum omni ratione hoc figmentum. Nam primum electionis jus veteri more statim in ipsa imperatoria dignitate continebatur, cum imperium fuit adhuc hæreditarium, ut Carolus, aliusve aliquis cum semel fuit factus imperator, non tantum ipse pro arbitrio imperavit, sed potuit etiam eam dignitatem communicare alteri, cui voluit, ut Carolus communicavit Ludovico filio, is porro Lothario. Potuit igitur idem imperator ex plenitudine suæ potestatis etiam aliis illud jus eligendi tradere, aut constitutionem aliquam, decretumque de ea facere, non expectato Papæ mandato qui tunc ejus juratus subditus fuit cum omnibus Romanistis. Sicut Sergius juravit Lothario fidelitatem cum suis Romanis, et plurimi alii Papæ. Deinde creato semel imperatore, et translato imperio in aliquam gentem, ut isti gloriantur se transtulisse in Francos et Germanos; non tantum ipse unus homo habuit illam plenitudinem imperatoris potestatis, sed etiam principes potestatis illius participes fuerunt. Imperium enim non in uno solo homine, sed in toto eorum corpore, et præsertim in ejus principibus consistit ».

Sed hæc omnia, aliaque permulta, quæ Illyricus repetit, et inculcat usque ad nauseam, nihil aliud efficiunt, nisi jus eligendi imperatorem penes Germanos fuisse ab ipsa translatione imperii, quod nos certe minime negamus. Quin potius Innocentius Pontifex, loco supra citato, ex eo probat, potestatem eligendi imperatorem ad Germanos ab Apostolica Sede pervenisse, quod eadem Apostolica Sedes in persona magnifici Caroli imperium a Græcis transtulerit in Germanos. At non recte colliges ex eo quod Apostolica Sedes jus eligendi Germanis in Carolo Magno tribuit illo ipso tempore, quo in eos imperium transtulit, non potuisse Gregorium V postea sanctionem aliquam circa electionem imperatoris, ipso præsertim imperatore, Germanisque principibus consentientibus, edere.

Nam etsi Pontifex imperium transtulit, et jus eligendi principem dedit; non transtulit tamen neque dedit illam suam, quam in omnem Ecclesiam ab ipso Christo habet summam atque plenissimam potestatem. Quare sicut potuit Ecclesiæ causa id exigente imperium a Græcis ad Germanos transferre; ita quoque transferre posset, si eadem causa nunc occurreret, a Germanis ad aliam nationem. Pari ratione, sicut jus eligendi principem potuit Summus Pontifex Leo ejus nominis III. Germanis tribuere, ita quoque potuit Gregorius V ad impedienda schismata, bella et seditiones, quæ ex multitudine Electorum nascebantur, ad certum numerum principum Electores ejusmodi revocare; præsertim (ut supra dixi) ipso quoque imperatore assentiente, vel etiam petente ac rogante. Omnino enim verisimile est, imperatorem, quod ipse facere non audebat, ut tot principes ab electionis jure excluderet, a Summo Pontifice id postulasse.

Jam vero quod Sergium Papam Lothario fidelitatem jurasse Illyricus scribit, non alio pertinet, quam ad cumulum augendum ejus mendaciorum. Nam neque Ado, neque Rhegino, neque Otho Frisengensis, neque Abbas Urspergensis, neque Marianus Scotus, neque Sigebertus, neque Martinus Polonus, neque Platina, neque Nauclerus, neque alius ullus (quod sciam) hoc dicit. Ac ne ipse quidem Illyricus in vita Sergii, quam scribit Cent. 9. cap. 10. col. 497. et 498. Sed video unde occasionem mentiendi arripuerit Illyricus. Liber Pontificalis in vita Sergii II et Joannes Nauclerus in Chronico generat. 39. tradunt

rogatum fuisse Sergium Pontificem, ut permitteret Romanam nobilitatem jurare fidelitatem Ludovico Lotharii filio, quem idem Sergius regem Italiae declaraverat. Pontificem autem nullo pacto concedere voluisse, ut Romani Ludovico jurarent, idque tantum permisisset, ut Lothario imperatori jusjurandum quod petebatur, praestarent. Quoniam igitur Sergius Papa Romanos proceres imperatori Lothario jurare permisit, id Illyricus pro sua mentiendi auctoritate ita interpretatus est, ac si Pontifex ipse imperatori jusjurandum praestitisset.

Ac ut videas, lector, quam sibi ipse constet Illyricus, adscribam hic pauca de isto ipso Sergio ex loco citato historiae centuriatae ejusdem Illyrici, ibi enim Sergium Papam, ut Monarcham Orbis terrae, et Dominum regum, atque imperatorum describit, quem hoc loco subditum juratum imperatoris facit. Sic igitur ille Centur. 9. cap. 10. col. 498. « Majestatem sprevit, nam sese passus est ordinari in Pontificem, non expectato imperatoris assensu : quod erat contra privilegia ejus. Deinde noluit committere, ut populus Romanus Ludovico filio Lotharii sacramentum praestaret : licet Drogo Metensis, et alii Archiepiscopi, qui ex Galliis cum Ludovico advenerant, acriter ea de re cum ipso contenderent. Inquit enim ad Episcopos, et legatos : si vultis Domino Lothario imperatori magno, hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio et permitto, nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas consentit. Regna hujus mundi, et gloriam ejus affectavit ; penes se enim voluit esse potestatem, reges et imperatores, quos vellet, inaugurandi. Nam Lotharium coronavit, et Ludovicum ejus filium regem Longobardorum designavit, Ludovici filios, de regno digladiantes, ac pacem per legatos cohortatus est, et regni partitionem approbavit, et Siconulpho Beneventano in terram prostrato pedes suos osculandos praebuit ». Haec ille ; qui si verba sua inspicere non gravetur, per se ipse facile judicabit, utrum ille juratus subditus, atque, ut supra vidimus, juratum mancipium regum jure appelletur, qui imperatores, quos vult, coronat, qui filios imperatoris reges designat, cui duces humi prostrati pedes osculantur, ad cujus nutum populi sacramentum fidelitatis imperatori praestant, quo demum repugnante, iidem populi in verba Ludovici regis praesentis, atque armati, jurare non audent. Sed

jam libri totius Illyriciani conclusionem audiamus.

« Hactenus, inquit, Spiritu Domini, nos in omnem veritatem manucente, et dolos fraudesque Antichristi, ejusque Symmystarum patefaciente, ostendimus veram translationem, aut etiam communicationem Romani imperii in Germanos factam, qua etiam nunc Dei beneficio fruuntur, et simul contra recepta historicorum clericorumque figmenta probavi, nec translationem imperii, nec jus Electorum, eis Papae beneficio contigisse, etc. »

Non possum equidem non vehementer mirari, cur Summum Pontificem Antichristum tam confidenter Illyricus nominet. Novimus enim ex Danielec. ii. et Paulo II Thessal. ii. Antichristum nullum Deum curaturum, seque ipsum supra omne quod dicitur Deus, exaltaturum, et rursus ex Illyrico in hoc ipso libro saepius audivimus, Romanos Pontifices servos et mancipia imperatorum fuisse ; ex Centuria vero 8. et 9. c. 10. jam ante didicimus eosdem Pontifices tot diis sese subicere solitos, quot sunt in caelo sancti, quot in terris imagines, quot sub terram reliquiae. Quis igitur capiat, eum extollere se super omne quod dicitur Deus, et nullum Deum curare, qui non modo deos innumerabiles publice colat, sed etiam adeo sit humilis atque abjectus, ut se mancipium juratum principum terrenorum esse fateatur? Sed quid opus est in hoc mendacio refellendo diutius laborare, cum totus liber ex mendaciis constet? Sic nimirum loqui, sic disputare oportuit discipulum ejus, qui in veritate non stetit.

Sed quid ego de illa incredibili impudentia, vel sacrilega potius impietate dicam, qua tot mendaciorum auctorem Spiritum sanctum facit : « Hactenus, inquit, Spiritu Domini nos in omnem veritatem manucente, dolos et fraudes Antichristi ostendimus ». Hoc sane deerat ad cumulum mendaciorum, ut disputationem mendacis undique scatenem, vel potius totam ex mendaciis fraudibusque contextam, Spiritui sancto tribueret, omnemque veritatem appellaret. Estne aliquid ultra, quo progredi audacia atque impietas possint? Si mentiri scelus est apud Christianos, quid erit, religioni sibi ducere non mentiri? Quid ipsa mendacia in Spiritum sanctum auctorem conferre?

Sed ego non jam Illyricum miror confidentissime mentientem, ac religioni sibi du-

centem non mentiri, et demum ipsa sua mendacia Spiritui veritatis adscribentem : nam impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Illos miror, qui cum viri prudentes et graves videri velint, sibi tamen ab ejusmodi portentis imponi atque illudi tam facile patiuntur. Quae enim major cogitari aut fingi potest vel negligentia, vel caecitas, vel etiam stupiditas, quam iis hominibus fidem habere, quorum tanta est levitas et inconstantia, ut perpetuo secum ipsi pugnent ; tanta mentiendi libido, ut in exiguis libellis tantos acervos mendaciorum inserant, ut plura mendacia sint pene quam verba?

Sed si eorum desidia non immerito reprehenditur, qui mendacissimos libros facile sibi obtrudi sinunt ; intoleranda deinceps non jam desidia, sed improbitas erit, si detecta et confutata mendacia ab oculis suis atque auribus non repellant. Quamquam ego meliora de Germanis, ut corpore candidis, sic etiam animo sinceris, et veritatis amantibus sperare debeo. Injuriam enim facerem nobilissimae nationi, si eos crederem mendaciis potius, quam explorata veritate delectari.

Unum illud oro, atque obsecro Germanos omnes, ut secum ipsi cogitent, qui sint, unde genus duxerint, quos majores habuerint ; quantum denique intersit inter praclarissimos illos heroes, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, S. Henricum, Lotharios, Othones, Chunrados, qui nihil antiquius habebant, quam ut Apostolicam B. Petri sedem certatim honorarent, atque ornarent ; et nescio quos Illyricos homines obscuros, seditiosos, ac turbulentos, qui totis viribus laborant, ut eandem illam Sedem imposturis, ac fraudibus evertant. Neque enim dubito, quin, ista paulo attentius cogitaverint illorum potius, quam istorum similes videri volent : multoque magis eorum pietatem, gravitatem, constantiam sectandam sibi esse statuent, qui Germanicum nomen toto orbe terrarum celeberrimum sua virtute fecerunt,

quam impios istorum furores, temeritatem, et inconstantiam, qui Germaniam universam sectis, seditionibus, ac tumultibus repleverunt. Illud certe historicorum omnium litteris, ac vocibus testatum extra controversiam est, numquam magis potentia atque opibus floruisse Germaniam, quam cum illi imperarent, qui Sedem Apostolicam in primis venerabantur.

Ad finem libri sui de translatione imperii adjecit Illyricus longissimam appendicem, in quam primo loco retulit integrum cap. 3. lib. iii. de Concordantia Catholica Nicolai Cusani. Secundo integram epistolam Innocentii III quae incipit, Venerabilem, et habetur inter epist. decretales tit. de Electione. Tertio epistolam Friderici I imperatoris ex Radevico lib. iii. cap. 10 quam etiam supra posuerat in prolegomenis. Quarto historiam quamdam de rebus gestis Paschalis Papae, et Henrici imperatoris, ex Dodechini Abbatis appendice ad Marianum Scotum. Quinto Ludovici IV imperatoris Apologiam. Ex quibus omnibus nihil est quod responsionem desideret, praeter Apologiam Ludovici IV, nam de testimonio Cusani diximus supra cap. 13. et 13. epistola Innocentii causae nostrae maxime favet. De epistola Friderici disseruimus cap. 3. Historia Paschalis et Henrici ad rem praesentem nihil facit. Non enim inter eos quaestio erat de imperii translatione, sed de investituris Episcoporum, et praeterea imperfecta historia est, quam ex Dodechino refert Illyricus. Perfecta ex Abbate Urspergensi petenda est ; ex qua quisque perspicere poterit, contentionem illam longe alium exitum habuisse, quam optasset Illyricus. Coactus enim fuit imperator, terroribus plangis et immissis divinitus, Ecclesiae collum subicere, atque investituras Episcoporum, pro quibus retinendis tamdiu laboraverat, vel invitatus dimittere. Sola igitur restat Ludovici IV Apologia ; quae quoniam ab Alberto Pighio egregie refutata est, ne actum agere videar, ad ipsius Alberti responsionem lectorem censui remittendam.